



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Singulæ Orientis Diœceses suis Patriarchis & Exarchis commissæ: Solidi
Occidentis Diœceses octo, Romano Episcopo. Eo sensu explicatæ Majores
Diœceses in Concilio Arelatensi primo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Refertur in Concilio Chalced.

fenum in synodo Berytensi, ubi synodi Antiochena & Tyria, in ejus Episcopi causa habitæ, ἀνατολική dicuntur, & Δύτικη: quam ille in διήκων immutat, ut Antiochena eo vocabulo significetur. Sanè alia mens est Libelli, ubi Antiochena Synodus ἀνατολική dicitur, sive Orientalis, quia urbs Antiochia est metropolis Orientis. Tyria autem dicitur Δύτικη, seu Occidentalis, ratione habita situs quem Tyrus obtinet in Diœcesi Orientis. Phœnicia enim, ubi sita est Colonia Tyri, porrigitur ad partes occidentales Diœceses Orientales.

CAPUT V.

Synopsis.

I. Singule Orientis Diœceses suis Patriarchis & Exarchis commissa: Solida Occidentis Diœceses octo Romano Episcopo. Eo sensu explicata Majores Diœceses in Concilio Arelatenſi primo.

II. Romanus Pontifex caput Occidentis, à Basilio & Augustino, cujus locus explicatur, ex Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Concilio Ephesino.

III. Innocentius refert originem hujus institutionis. Illyricum sibi equè ac ceteras Diœceses vindicat.

IV. Romanus Pontifex Patriarcha dictus, etiam Occidentis, à Iustiniano, cujus locus explicatur.

V. Romani Episcopi Patriarcha nomen non sumpserunt, ex Gregorio; quanvis jure Patriarchico uterentur, & ab aliis dicerentur Patriarcha. Quinarius numerus Patriarcharum in Synodis sexta & octava.

I. **C**ONSTITUTA Ecclesiarum in Orientales & Occidentales divisione, necesse est ut statim cordato lectori veniat in mentem, aliquo disciplinae ordine earum administrationem constituisse. Quod si curiosius rimetur, statim inveniet, eodem modo quo. quinque illæ Orientis Diœceses ita suis Primatibus erant commissa ut Ægypto præesset Alexandrinus Patriarcha, Orienti Antiochenus, Asiæ Diœcesi Ephesinus Exarchus, Ponticæ verò, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & Thracicæ Constantinopolitanus, qui tandem, ut dixi, tres istas Diœceses, Asiænam, Ponticam, & Thracicam decreto Concilij Chalcedonenſis suæ sedi asseruit, ita Diœceses Occidentis ea ratione Metropolitanis suis concredita fuerunt ut Romano Episcopo tanquam totius Occidentis Patriarchæ subessent: qui tantum à ceteris Patriarchis administratione distabat, quantum dignitate & auctoritate. Cujusque enim illorum potestas unius Diœceseos finibus coerceretur; integræ autem & solidæ totius Occidentis Diœceses Romani Episcopi auctoritate gubernabantur.

Hoc discrimen fortassè respiciebant Concilij Arelatenſis Sacerdotes, cum epistola sua ad Silvestrum testantur eum *Majores Diœceses* tenere; quia scilicet septemvel octo Occidentis diœceses obtinebat, nempe in Italia duas, Illyricum solidum, quod ex una Diœcesi in duas postea est discriptum, Gallias, Britannias, Hispanias, & Africam.

II. Sanè ne effusam illam Romani Pontificis administrationem commentus fuisse videar, laudabo testes omni exceptione majores, hinc Basilius ab Oriente, qui conceptis verbis Episcopum Romanum, *Occidentalium Corypheum* esse scribit, id est, illius Ecclesiæ principem, hinc verò, Augustinum ab Africa. Hic cum adversus Julianum Pelagianum testimonia Cypriani ex Africa, Irenæi, Rhetici, Olympij, Hilarij è Galliis, & Ambrosij ex Italia protulisset, ista verba subjungit: *An ideo contemendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. cui Ecclesiæ presidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juvenutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Ecclesiæ quæ præsidebat Innocentius, nulla est alia quam Occidentalis, cujus solius hoc in loco mentionem facit Augustinus. ut frustra sint Novatores, qui ad Romanam hæc verba referunt, cujus ne meminit quidem. Certum quidem est ab Augustino Occidentalem Ecclesiam ex eo capite illustriorem reddi quòd Occidens ea sit orbis pars in qua Princeps Apostolorum martyrio confectus sit, ac proinde compositus cum Oriente primas partes dignitatis ferre debeat, unde sequatur, maximi ponderis esse debere adversus Pelagianos Innocentij sententiam, qui Occidentali Ecclesiæ præfideret. Basilio & Augustino addamus Hieronymum, qui epistola ad Marcum, *Hæreticum me, inquit, cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent.* Quid apertius? Ut Ægyptum, tanquam specialem Alexandrini Patriarchæ Diœcesim, Petro Alexandria Episcopo tribuit Hieronymus, ita & Damaso Episcopo Romæ solidum Occidentem. In eam sententiam idem auctor, cum cœlibatum sacerdotum adversus hæreticos assereret, totiùsque Ecclesiæ consuetudinem, ad comprimendam novitatem testimonij pondere, advocaret, trium Patriarchatum limites describit. *Quid facient, inquit, Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti,*

Basilius ep. ad Aug. c. 1.

Aug. l. 1. contra Jul. c. 1.

Hieron. ad Marc. Vigilant.